

cium, & seipsum repugnantibus erroribus euertit.
Quo verò tempore, quóne primùm authore cœperit, non reperi Augustinus, sed nec Philaster ipse cōmemorauit. Quidam à Seueritis & Armeniis hæreticis profectum hunc errorem putant. Alij ex Nicephoro à Petro Gnapheo, libro 15. cap. 28. sed falluntur magna temporum ignorantia. Vixerunt enim hi omnes aliquot post Eutychen hæreticum seculis, à quo sua deliria sumpserunt illi. Eutyches autem ipse post defunctum Augustinum, q̄ai hunc errorem iam pullulantem viderat, natus est, vt manifestissimè ratio temporis istorum sententiæ repugnet. Quantum verò coniicere potui, præsertim ex tertio Theodoreti dialogo, qui dicitur Impatibilis, temporibus Appollinaris, & Eusebij Emiseni fabricari & spargi cœpit, sub Constantio, Constantini Magni filio, & Iulio Romano episcopo, vt docet Socrates libro 2. circa annum à Christo passo 311. Duravit autem diutissimè. Sustentata enim est hæc hæresis ab Eutychianis, & ab iis pertinaciter defensa, maximè verò à Petro Gnapheo sub Zeno imperatore, & nunc quoque, inter Armenios, qui se Christianos appellant, permansisse fertur. Grassata verò est in Asia, & Syria Orientali præcipue, vt quanuis initio paruus error videretur, successu temporis, atque obstinationis accessione, gravissimus postea factus est, tanti est nimirum, vel latum quidem vngue in à vera de Christi duabus naturis fide discedere, séque tetris istis erroribus mācipare.

CAP. LXIIII.

Triformii & Tritheitæ quid senserint.